

1733.

1. Tyrmannus, Christoph. Ridonicus: De litteraturae elegantioris statu in Hassia ockeri ac florentissimo in exemplum statuo praesentis trahendo.
2. Kleibot, Jak. Henricus: De primariis communionis bonorum conjugalis effectibus.
3. Koester, Phil. Christ. Lüd: De evictionis praestatione bonorum familiæ in emphyteusin datorum.
4. Müller, Hilt. Frideric: De iudicij Cameralis origine, constitutione, progressu, sustentatione ac juri dictione in genere.
5. Bruppel, Jak. Conrad: De praestatione evictionis ad annum et diem secundum ius ac consuetudinem liberar. S. P. S. civitatis Fracof. et Noenam.
- 6^o Schulenburg, Matthias &c: De privilegiis ac prerogatiis nobilium meditorum in Germania.

2 Sept. 1733 - 1746.

E 40

J. Wahl, ab. Fridericus: De editione instrumento -

rum -

1734.

1. Sutor, Th. Georgius: De presentatione contra rusticos
in causis operarum hascumque redactione bista.

2. Francini, Jakamus Antonius, nab. de Curti: De
vicariis imperii et eorum potestate.

3. Riese, Fridericus Tacitus: Restrita adficandi
libertate ejusque principis effectu, qui consistit
in novi operis nunciatione

1735.

1. Bonn, Josephus: De jure et officio fisci Caesaris
procuratoris et advocati.

2. Petri, Jakam. Philippus Treplius, dei: De jactibus
appellationis ad Cameron Imperiale. 2 Sept. 1735. P
1746.

to -
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-
-

ALVRAE
REGANTURIS STAR
VIRGINIA VETERI

F 40

I
P 346.

50
P

188.
Habemus ergo etiam in multis tribus iuris
in causa operum de omnius relatione
etiam quodcumque iuris iustitiae
iuris iustitiae et iuris iustitiae.

3. Princ. Iuris iustitiae. Nominata est
libelata causa principis iustitiae
et iuris iustitiae iustitiae.

Principia iustitiae sunt: i) leges
ii) iuris iustitiae et iuris iustitiae
iii) iuris iustitiae et iuris iustitiae.



1733/3
23

D. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
EVICTIONIS
PRÆSTATIONE
BONORUM FAMILIAE
IN EMPHYTEUSIN DATORUM,
QUAM
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA
EX DECRETO ET AUTORITATE
ILLUSTRIS FCTORUM ORDINIS
IN ALMA LUDOVICIANA
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
AC
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS,
SOLENNI EXCELLENT. DNN. PROCERUM
EXAMINI HORIS LOCOQUE SOLITIS SUBMITTIT
AD D. FEBR. MDCCXXXIII.
AUTOR
PHIL. CHRIST. LUD. KOESTER,
WALLERTHEIMENSIS,
DICASTERIORUM ELECTORALIUM PALATINORUM
ADVOCATUS ET PROCURATOR ORDINARIUS.
GIESSÆ, Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.



I. N. J.

PROÆMIUM.

Concessa ab illustri Facultate Juridica licentia disputandi, pro summis in utroque jure honoribus atque privilegiis doctoralibus legitime obtinendis, cogitandum mihi erat de eligendo disputationis themate, non nullis itaque diebus hæsitando consumtis, an non de *Evictione rerum Domanialium*, de qua vid. GEORG HENR. BRÜCKH.

A 2

ie

in Tract. Synopt. de Domaniis Regni German. cap. 10. FERD.
 CHRISTOPH. HARPPRECHT Vol. I. Consil. Tübinger. XLII.
 vel de Evictione rerum retractui subjectarum, quam materiam
 STRYKIVS in usu Modern. tit. de Evict. §. 40. paucissimis
 attingit, MEVIVS vero Part. V. decif. 312. latius dedit.
 vel de Evictione rerum in feudum concessarum, de hac confer.
 HENR. à ROSENTHAL de Feudis cap. 9. & STRUV. in
 Syntagma Juris Feudalis cap. VI. aphor. IX. agere deberem;
 Tandem mihi proposueram, nonnullas theses, de Evictionis
 præstatione bonorum familiae in emphyteusin dato-
 rum, conscribere, & quidem motus hac ratione, quod
 paucis ante temporibus notus mihi quidam de ejusmodi
 casu me consuluerat, Casus vero hic esto.

CASVS.

Titius fundum Tusculanum fideicommisso familie grava-
 tum Sempronio pro parvo pretio in emphyteusin dedit, ca-
 nonem sive annuam pensionem sibi præstandam reservans;
 multis post annis emphyteuta Sempronius, jus emphyteu-
 ticum & *ιμποριματα* sua, requisito domini directi consensu,
 Mevio pro magno pretio cedens, discessit. Titius
 uxore sua herede universali instituta improlis moritur,
 hinc Caius, Sejus & reliqui agnati fundum Tusculanum
 tanquam bonum familie vindicare conantur, re evicta,
 queritur, quis Mevio evictionem præstare teneatur,
 quomodo præstanta &c.

§. I. Positio

(5)

§. I.

Posito exemplo, certum est fideicommissum familiae tam particulae quam universale, tum ultima voluntate, tum conventione constitutum, absque consensu omnium quorum interest, id est eorum qui sunt de familia regulariter alienari non posse, per verba leg. 3. C. commun. de Legat. & Fideic. quia satis absurdum erit & irrationalis, rem, quam quis in suis bonis pure non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypotheca pignorisve nomine obligare; & alienationem esse contra naturam Fideicommissi asserit, DECIAN. conf. 52. num. 5. Vol. I. ac fideicommissum subsistere & bona ahenari posse, incompatibilia esse, & sic tanquam inter se contraria atque incompatibilia iuxta se stare non posse, tradunt SOCIN. SEN. Conf. 43. col. 1. & 2. L. 4. DECIAN. Conf. 11. n. 7. Quamvis ergo fideicommissi institutor de alienatione nihil dixerit, ea tamen nihilominus prohibita intelligitur, si quidem is, qui hujusmodi fideicommissa instituit, ea omnia expresse intellexisse & fancivisse intelligitur, quæ sunt ejus propria & naturalia, & sine quibus ea subsistere nequeunt. ABBAS Conf. 85. L. 1. GUID. PAP. queſt. 506. NICOL. BETSIVS de patr. famili. Illustr. cap. 8. fol. 476. KLOCK. tom. 3. conf. 150. n. 22.

§. II.

Cum itaque apertissimi juris sit, quod primus ex votatis nullo modo præjudicare possit secundo fideicommissario, faciendo aliquid, propter quod non possit succedere in fideicommissio, sed regulariter alienatio aut op.

A 3

pigno.

66 (67) 20

pignoratio non valeat in prejudicium proprio jure venientium, imprimis si heredes non sint per l. 59. s. 3. de Legat.
2. Sic quoque fideicommissarius fundum fideicommissio gravatum in emphyteusin perpetuam concedere nequit. cum & hac cessio est alienatio, l. fin. C. de Rebus alien. non alienand. ubi Imperator scripsit: *Sive lex alienationem inhibuerit, sive testator hoc fecerit, sive pactio contrahensum hoc admiserit, non solum dominii alienationem vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam ususfructus dationem vel hypothecam vel pignoris nexum penitus prohiberi, similique modo & servitutes minime imponi, nec NB.* **EMPHYTEU-
SEOS CONTRACTUM.** Et alienatione prohibita constitutio quoque perpetua emphyteuseos prohibita intelligitur. c. v. X. de Rebus eccles. alien. vel non KNIPSCHILDT de alienat. fideicom. famil. n. 136. WEHN. pract. obseru. verb. Veräußerung.

§. III.

Secundum vulgarem definitionem juris emphyteuti-
ci, dominium utile cuidam, sublege anni canonis præ-
stanti, in recognitionem dominii direxi in bonis immo-
bilibus constituitur, vi cuius emphyteuta re emphyteuti-
caria uti frui & de illa quodammodo disponere potest.
Si itaque emphyteuta canonem domino suo præstare tene-
tur, ex hac ratione quod ipse sibi dominium directum re-
servaverit, ex hac retentione colligi posset, quod datio
in emphyteusin in alienationum numerum non veniat,
quia alienatum proprie non dicatur, quod iamjam in do-
mino venditoris, sic quoque domini directi, remaiet,
arg. L. 67. de V. S. & alienatio est actus, per quem domi-
num transfertur, L. 1. in fin. C. de fundo dotali.

§. IV.

§. IV.

Ad hoc dubium vero responderi potest, licet dominium directum seu superius, in concessione fundi cuiusdam in emphyteusin, peres dominum directum remaneat, nec illud in emphyteutam transferatur, attamen dominium aliud scil. inferius, quod communiter utile vocant, in emphyteutam transfertur, MOLINA de Just. & Jur. Tom. 2. Tract. 2. Disp. 445. n. 1. domino itaque translato, rem in emphyteusin concessam, alienatam esse, dici potest: Sic firma adhuc manet thesis, quod datio in emphyteusin sit species alienationis. Sed alia hic ex surgit controversia. Quid, si dicamus! quod divisio dominii inter directum & utile quoad verba incognita sit qua jure Justinianeo, qua feudali? Quod fit figuramentum Doctorum? conf. CUJAC. Lib. II. Observat. 35. DUAREN. 1. Disp. 17. DONELL. 9. comm. 14. ibique HILLIG lit. Q. & hanc sententiam quoque amplectitur HEINECCIUS in pandect. P. II. §. 79. & FROMMANNUS in Dissert. de Dominio acquisito th. 32. & 34. emphytheutis dominium proprie nullum adscripsit, his verbis: *Nos, non obstante, quod in praxi diviso haec in dominium directum & utile sit recepta, nihilominus illorum castra sequimur, qui dictis personis, vasallis scil. emphytheutis ac superficiariis dominium proprie nullum adscribunt.* Nullo itaque dominio in emphyteutam translato res quoque in alienata est, per Observ. III.

§. V.

Sed & ad hanc objectionem quoque cum HEINECCIO respondemus, qui cit. loc. circulos doctorum turbare

bare noluit, quod hac divisio Doctorum sit toleranda, cum uterque tam dominus directus quam emphyteuta in jure dicatur dominus; de domino directo, quod iste sit & vocetur dominus, nullum superest dubium, quod emphyteutam vero attinet, iste vocatur dominus. *in leg. 12; fin. C. de fundo patrim. l. ult. C. de cens. &c censit. l. 1. h. 8. l. II. C. de omni agro desert.* Cum igitur duo in solidum ejusdem rei non possunt esse domini *l. 5. §. 15. D. Commodati.* Doctores necessario eo devenerunt, ut unus diceretur habere directum, alter utile dominium, cumque in hoc porro unus partem facultatis disponendi retineat, alter omnem utilitatem capiat, illum vocarunt DIRECTUM dominum, den rechten Herrn / hunc UTILEM. HEINECC. cit. loc. Et hanc distinctionem inter dominium utile & directum quoque latitare nemo negabit, tam in *l. 1. §. 1. D. si ager vectig.* Vi hujus emphyteutæ competit actio in rem adversus quemvis possessorem, qua vindicatio dicitur *l. 25. D. de Oblig. & Aet. & vindicationem esse effectum dominii, primis legum cunabilis discimus. conf. l. 23. pr. D. & 21. Cod. de R. V. quam in l. 1. §. 3. D. de superf. juncto §pho 4to eodem. add. l. 73. 75. D. de R. V. II. F. 8. §. Rei.*

§. VI.

Obstat porro quoque *l. 1. cit. §. 1. D. si ager vectig.* in qua *L.* expresse constitutum, quod illi qui perpetuum fundum conduixerunt, non efficiantur domini, si emphyteuta non fiant domini rei emphyteuticaræ, nullum dominium in illos translatum est, nullo dominio translato, res quoque alienata dici nequit, secundum definitionem alienationis. conf. REITER de Alienat. Part. I. Sect. 2. 3. § 4.

¶ 4. cap. 3. Sed si dicendum, quod res est, quamvis in
c. l. i. D. si ager vect. emphyteutis dominium negetur, ex adjun-
ctis tamen & ex oppositione apparet, de directo hic sermo-
nem esse. MENOCH. lib. 3. conf. 226. n. 177. Sic emphy-
teuta non sunt domini ipsius rei seu proprietatis, sed domi-
ni JURIS IN RE. MEV. P. II. Dec. 263. n. 9.

§. VII.

Licet quoque concedamus, quod emphyteuta nullo
jure dominus rei emphyteuticæ vocari possit, & eorum
castra cum FROMMANNO sequamur, qui nullum domi-
nium emphyteutis adscribunt: attamen res fideicommissio
gravata sive alienari prohibita haud valide in emphyteu-
sin concedi potest, cum JUS IN RE in emphyteutam trans-
fertur, vi cuius non solum quamlibet commoditatem ex
re emphyteuticaria obvenientem percipere l. i. pr. si ager
vectig. sed ipsam rem donare, vendere & alienare possit.
l. 16. §. fin. D. de pign. l. 71. §. fin. D. de Legat. 1. prohibi-
tus autem alienare, nec utile dominium nec JUS IN RE
alienari prohibita, transferre potest, KNIPSCHILDIT cit.
loc. num. 134. quia alienatio improprie omnem contineat
actum, quo ex libertate vel jure nostro quidquam dece-
dit. MEV. P. V. Dec. 32. n. 5. Ultimo de illicita rerum aliena-
ri prohibitarum concessione in emphyteusin audiamus
FRID. à SANDE in Tract de prohibita rerum alienatione P. I.
cap. 1. n. 44. ubi ita: Qui dat in emphyteusin, proprie alienare
non dicatur, tamen REI USUM ita in emphyteutam trans-
fert, ut quamdiu ab eo soluta fuerit pensio eum dominus
expellere non possit, l. 3. C. de jure emphytent. hinc Justi-
nianus emphyteusin non procul ab alienatione confistere

B

dicit,

400

dicit, *Nov. 7. cap. 1. vers. alienationis*, imo emphyteusia sub prohibita alienatione comprehendit, in *L. fin. C. de Reb alien. non alien.*

§. VIII.

Ad quæstionem motam, an datio in emphyteusin sit alienatio, affirmative formata responsione, merito hic distinguendum esset inter prædia (loquimur de prædiis rusticis, possunt enim non tantum prædia rustica veluti agri, sed etiam urbana, puta ædes in emphyteusin dari, HARPPRECHT ad §. 3. *Inst. de Locat. conduct.*) sterilia, inculta, ad nullum usum apta, nisi gravissimis laboribus & maximis impensis ad culturam redacta fuerint, & fertilia jamjam culta. Olim quidem sterilia in emphyteusin concedebantur, postea etiam fertilia & maxime culta in emphyteusin dari cœpta, STRYCK in *V. M. tit. si ager vegetig. §. 3.* Quod ad bona fructuosa, quæ fideicommissio familiae gravata sunt, vix ullum dubium supereft, quod illa ab eorum possessore in emphyteusin perpetuam dari nequeant, quia alias fideicommissi possessor alienaret id, quod ei non est permisum, nam fideicommissarius habet dominium valde limitatum, lege, conventione, vel testamento restrictum, qua libera dispositione admota nullam partem juris alienando cedere potest, quia & hæc cessio reliquis ad fideicommissum vocatis in magnum præjudicium cederet.

§. IX.

Quod ad bona infructuosa seu inculta attinet, ratione quorum contractus, circa quem hic versamur, vocatur emphyteuticarius, à vocabulo græco ἐμφυτευειν, quod latini idem denotat ac inserere, implantare & per plantationem

42 (11) 20

tionem melius reddere MOLINA de Just. & Jur. Tom. 2.
tract. 2. disp. 444. FRANC. MANTIC. de tacit. & ambig.
convent. L. 22. tit. 1. n. 1. JAC. THOMING. conf. 33. n. 1.)
licet ejusmodi bona fideicommissio familiae gravata sint,
absque consensu tamen omnium quorum interest, in em-
phyteusin dari posse non negandum videtur, quia fidei-
commissariis & reliquis successoribus fere nihil decedit,
sed res melior redditur. Licitam quoque esse ceteris pa-
ribus alienationem rei fideicommissaria, si utilitas id exi-
gat, & pretium in alias res utiliores & fideicommissario
magis commodas & proficuas vertatur, tradunt. AF-
FLICT. dec. 336. num. 3. CARPZ. p. 3. c. 8. d. 33. alie-
nationemque quodammodo hoc casu necessariam & per-
missam esse, probat. KNIPSCHILDIT cit. loc. n. 445. & quod
res steriles restitutioni obnoxiae alienari debeant, de hoc
vid. PETRA de fideic. quest. 15. num. 226. GARS. de ex-
pens. & meliorat. c. 16. n. 7. Quamvis enim primus con-
stituens fideicommissum, alienationem omnium bonorum
prohibuerit, attamen neque utilis permutatio interdicta,
neque alienatio ex causa permutationis pretii in res utilio-
res, magis commodas & proficuas, prohibita videtur,
modo non ejusmodi terræ incultæ alii fini doceantur de-
stinatæ.

J. X.

Quæ cum ita sint comparata, quod scil. fideicommis-
sario permitta sit, bona sterilia alienandi facultas, quæ sub
hac conditione possidet, ut illa eo mortuo proximis de fa-
milia restituantur; facile erit intellectu, quod ejusmodi
bona in emphyteusin quoque dare possit, hac enim con-
cessione

cessione facta, secundo vel tertio ad fideicommissum votatus, annuam pensionem s. canonem accipiens, contentus erit, & emphyteuta acceptum referet, quod ejus studio terra ad culturam redacta fuerit, imprimis si canon non solum in recognitionem dominii directi sed etiam in compensationem fructuum præstatur, eo magis, quo Vasallis liceat, terras incultas in emphyteusin concedere. HARPPRECHT Vol. IV. Respons. 91. n. 103. ex generali consuetudine Vasallos pascua, terras incultas, & eremos feudales in emphyteusin concedere, refert CLARUS in R. S. §. Feudum Qu. 33. num. 4. quod verum est non de Italia duntaxat; sed etiam de Germania nostræ consuetudine. Cum quo etiam gemina tradit Dn. SAMUEL STRYCK. in suo Exam. jur. feud. cap. 10. Qu. 4. ibi: sicut ex consuetudine Vasalli terras incultas (ungebaute Felsdet) in emphyteusin dari solent. conf. post CURTIUM, RAYNALDUM & JOHANNEM FABRUM, JOHANNES HARPPRECHT ad Jur. Clar. §. emphyt. Qu. 5. num. 6.

§. XI.

Cœterum conflictui relinquimus, an arg. c. V. & VII.
 X. de rebus eccles. alien. vel non licita sterilium honorum fideicommisso gravatorum concessio colligi possit, cap. priori omnis alienatio rerum ecclesiasticarum prohibita est, cum nulli liceat rem immobilem ecclesiae, sive agrum sive rusticum mancipium, neque specialis hypothecæ titulo obligare, quam regulam interpres illustrant, imprimis REDOANUS de rebus eccles. non alien. PETRUS REBUFFUS de rebus eccles. non alienand. TAMBURINUS de jure Abbat. Tom. III, disp. 13. & 14. conf. BOEHMER in jure ecclesiast. protest.

protest. Tit. de rebus ecclesi. alien. §. XLIII. posteriori capi.
te permisum est, terram non fertilem in emphyteusin con-
cedere ei, cuius studio reducatur ad culturam verbis: il-
las terras quæ de sylvis extirpatæ sunt arabiles factæ, eis
hereditario jure poteris concedere sub anno censu tenen-
das, à quibus suo vel parentum suorum labore consti-
tit extirpatæ.

§. XII.

Bona restitutioni obnoxia alienari prohibita, de qui-
bus jam diximus, excipiunt bona alienari permissa. Ju-
ste enim fideicommissum ad certum tempus vel generatio-
nem sub conditione, quamdiu ipse concedens dominus
erit, in emphyteusin concedi dubium non est. Quem-
admodum enim pendente conditione res in alium trans-
ferri potest, & conditione existente, dominium ipso jure
absque ulla verbali vel reali restitutione in fideicommissa-
rium transfertur, ipsique rei vindicatio contra possiden-
tem non obstante usucapione vel præscriptione competit.
GAIL. L. 2. Observat. 137. n. 6. Sic agnatorum nihil in-
terest, an in ordine ad fideicommissum vocatus ipse præ-
dio utatur, an per emphyteutam fundum colendo melius
reddentem sibi annuam pensionem porrigi curaverit, cum
agnati, adveniente die, libere in fideicommisso succedere
possint licet contractus barbare hic vocetur Germ. Erb.
Bestandt / Erb. Recht / Erb. Ley / Erb. Zins.

§. XIII.

Sic valet fideicommissi alienatio, quando facta est ex
causa dotis & donationis propter nuptias, *antb. res qua C.*

B 3

comm.

comm. de legat. ibique GOTHOFRED. num. 27. GAIL. L. II. Observat. 37. n. 17. MENOCH. 4. pref. 189. n. 1. VINC. FUSAR. de fideicomm. substit. quest. 531. n. 1. Et hoc quoque procedit in alimentis, ita ut, si liberis fideicommissum instituentis alimenta non sint relictæ, pro eorundem constitutione bona hæc fideicommissaria alienari possint. auth. contra cum rogatus, C. ad Sctum Trebell. Valida quoque erit alienatio si omnes de familia in alienationem contentiant, sicuti decisum in L. 120. §. 1. de Legat. L. pen. §. 14. de Legat. 2. TIRAAQUELL. de Retract. lign. §. 1. Gloss. 9. n. 137. Sic ultimus ex vocatis in dispositione fideicommissaria, rem plene alienare potest, quo decedente sine prole nulla fideicommissi petitio superest. L. 77. §. 27. L. 78. §. 3. D. de Legat. 2. Valida quoque erit alienatio ad redemptionem captivorum & similia, de quibus hic non est disputandi locus, cum versamur præcipue circa res in emphyteusin datas easque evictas.

§. XIV.

Alienato itaque per concessionem in emphyteusin perpetuam fideicommissio, agnatis & reliquis fideicommissi successoribus salvum est res alienatas retrahere, redimere & revocare. L. 1. C. commun. de Legat. §. 2. Institut. de Legat. Conf. KNIPSCHILD T. de fideicomm. famil. cap. XI. num. 26. Quo tempore autem fideicommissum alienatum revocari debeat, Doctores inter se non conveniunt. Quidam statuunt, fideicommissum statim non exspectata morte alienantis fideicommissum revocari posse, PEREGRINUS de fideicomm. art. XLV. scripsit: Quando res per fideicommissum debeat

debeat perpetuo versari in aliquius familia, & expressa alienationis prohibitio adjiciatur, secuta istorum bonorum familia alienatione, statim etiam vivente possessore, nec exspectata morte possessoris alienantis, sequens in gradu sive is sit filius, sive descendens, sive transversalis, sive extraneus substitutus admittitur ad alienationem revocandam. Alii vero distinguunt inter alienationem necessariam & voluntariam, uti, BRUNNEMANN ad L. 69. D. de Legat. 2. his verbis: Si autem alienatio fideicommissi extra familiam prohibita, & tamen ab herede facta est ex causa voluntaria, statim fideicommissarii possunt petere fideicommissum sed si ex causa necessaria, & quidem ob eas alienum hereditis revocari non potest, nisi alienatore mortuo, & ita alienatio durat ad vitam hereditis. Alii aliter sentiunt, conf. RUINUS conf. 109. n. 1. FUSAR. q. 542. CARPZ. P. 3. cap. 8. decis. 35. Verum de his sententiis merito dubitamus, cum in LL. non dicatur, quod statim fideicommissum revocari queat, & præterea ante mortem alienantis reliqui ad fideicommissum non sunt vocati.

§. XV.

Utilior erit distinctio inter revocationem & redemtionem sive jus retractus. Sic audacter affirmamus, res restitutioni obnoxias alienatas & quidem alienari prohibitas ante mortem alienantis, a successoribus vel agnatis sine refusione pretii revocari non posse, bene vero post mortem: bona vero restitutioni obnoxia tam alienari prohibita quam alienari permitta ex justa causa, a fideicommissario alienata, etiam statim nec exspectata morte alienantis, ab agnatis refuso pretio retrahi vel redimi posse.

Cum

Cum enim fideicommissi institutor velit, ut bona hæc perpetuo in familia permaneant, ipse quoque voluisse censetur, ut etiam agnatis, qui sunt de familia, redemptio sive jus retractus vulgo der näher Kauff / Auflösung/ competit. Et ita in bonis avitis & gentilitiis jus retractus locum habere tradit, THEOD. REINKING de *Retract. consang.*
quest. 3. n. 10. seq.

§. XVI.

Prædiis fideicommissariis per redemtionem ab entore revocatis, vel per revocationem ab emphyteutis evictis; questio est de Evictionis præstatione. Olim prætores antequam partes ad certamen forense admitterent, decernebant, an & qualis actio competit, hodie vero ipse qui desiderium suum vel amici sui in jure exponit, dijudicare debet, sitne ei actio, nec ne; sic etiam, re fideicommissaria fertili in emphyteusin concessa, & à proximo cedentis agnato auctoritate judicis evicta, emphyteuta, priusquam actionem de evictionis præstatione instituat, diligenter secum agitet, num agere possit, & cui valide actionem intendat, ne dispendium causæ & condemnationem in expensas metuere debeat.

§. XVII.

Agitanti itaque secum diligenter emphyteuta, an agere possit; varia & gravissima dubia occurrent, nullam scil. actionem superesse. Quid si res fideicommissaria emphyteuta gratuito concessa fuerit? num etiam dominus direclus de evictione rei donata teneretur? minime donator ex natura contractus hac actione tenetur per L. 2. C. de
Evict.

Evicti & lucrativæ rei possessor ab evictionis actione, ipsa juris ratione depellitur L. 18. §. fin. D. de donat. L. 17. D. de Oblig. & Aet. ratio est in L. 62. D. de Ædilit. Edict. ibi: quid serestiteturum donator repromittit, quando nullum pretium interveniat? Sed si dicendum, quod res est, distinguendum est inter donationem simplicem, & non simplicem, in donatione simplici evictio non præstanta est, nisi promissa fuerit, per leg. cit. bene vero in donatione non simplici. Inter donationes non simplices quoque refertur gratuita datio prædii in emphyteusin, quæ donatio sub modo vocari potest propter causam futuram; nam constitutens emphyteusin, annuas pensiones sibi præstandas reservat, quæ licet etiam in re minima, nummo vel ovo consistant, sat tamen onerosa sunt, quia in perpetuum durant: & in recognitionem dominii directi præstari debent, &, si emphyteusis donata fuerit propter causam prateritam, quæ donatio remuneratoria dicitur, dominus directus dupliciti vinculo obligatur, & propriæ donatio non est. L. 27. L. 34. §. 1. C. de Donat. Sic à concedente rem emphyteuticam evictio præstanta erit, tanquam ex natura negotii onerosa, licet constitutens emphyteusin gratis illam concesserit. (ob er gleich den Erbbestand geschenket hätte /) adjuvari quippe nos, non decipi, beneficio oportet L. 17. §. 3. D. Commod L. 4. C. de litigiosis. ibi: Verum etiam in donationibus porrígenda: ut vera estimatione facta, cum pretiū datio non est, rem ad alium transferens multetur. Argumentari licet quoque à feudo, quod vetere lingua Longobardorum beneficium vocatur, & nemo ad beneficij evictionem præstantam regulariter cogi potest per LL. cit. Evictionem tamen feudi præstantam esse tra-

C

dit

dit STRUV. in Syntagma iur. Feud. cap. VI. aph. 9. n. 3. ibi:
 Sciendum est, feudum, etiam si gratuito concessum fuerit, non
 esse beneficium absolute ita dictum, sed secundum quid, nec per
 nudam donationem, sed per singularem contractum feudalem con-
 stitui, qui est contractus dativecc. & uti vasallum obligat ad
 exhibendam fidem & servitum: ita dominum ad tradendam rem,
 ita, ut dominium utile rei transferat in vasallum, vel tamen
 ut rem habere, vasallo licet: Dominus igitur, similiter ac in
 aliis ejusmodi contractibus obtinet, ad prestandam evictionem est
 adstrictus conf. ALVAROT. in d. 11. F. 8. n. 4. MATTH.
 de AFFLICT. n. 3. MODEST. PISTOR. dd. II. FRANTZ.
 d. Evict. num. 517. Quod vero in jure feudali legatum dispo-
 sum, re evicta aliud feudum vel pretium feudi, quo aliud com-
 paretur, prestandum esse, eo ipso nihil aliud, quam ejus quod
 interest, prestatio describitur &c. non aliter gratuita rei em-
 phyticaria cesso, constituentem ab evictionis præsta-
 tione liberare potest, quia à feudo ad emphyteusin argu-
 mentum licite deducitur NICOL. EVERHARDUS in To-
 pica legali loco à feudo ad emphyteusin & contra, & prolixe FUL-
 GINEUS in tract. de jure emphyteut. in præludiis Qu. 1. o. 11.

I. XVIII.

Loquimur de Fideicommisso in emphyteusin conces-
 so, & iterum revocato vel redento ab agnatis, jam vero
 venditor ab evictionis præstinatione immunis est, quoties res
 emta jure consanguinitatis vel alias ex legis dispositione retrahit-
 tur. MEV. Part. 3. Dec. 312. per tot. CABALLIN. de Erich.
 §. 3. n. 167. TIRAAQUELL. de Retract. lign. §. 1. §. 9. n.
 34. REINKING de Retract. quæst. 8. concl. 2. n. 284. hu-
 jus assertionis sequentes rationes reddit. STRYK. in U. M.

Zit.

(49) 30

Zit. de Evict. §. 39. quia res non evincitur ex persona venditoris, quod non illius fuerit, sed ex iure plane speciali & ex persona emtoris, propter qualitatem retractus ex parte municipali inherentem, quæ cum emtori nota esse debuisse, quia ex lege est, hic habet, quod sibi imputet, quod non in eam melius inquisiverit, & periculo restitutionis, neglecta hac inquisitione, se obnoxium fecerit. Deinde etiam hoc ratio facit, quoniam emtio in effectu hic non rescinditur, sed retrahens solum loco emtoris surrogatur, unde emtor ita non obstringitur ad restitutionem, uti in eo casu, ubi res aliena a vero domino evincitur, sed tenetur retrahens illum indemnem servare, & quicquid est oneris rei inherens, vel propter contractum contingens, sustinere. Quamvis itaque verum sit quod in retractu generaliter regresus non detur, aliud tamen est dicendum, & venditor ad præstationem evictionis obligatus est tunc, si res vendita ex conventione inter venditorem & retrahentem ante initia retrahatur; quod & locum habet, si res venditur, quæ fideicommissio gravata est, quia fideicommissaria qualitas in factu consistit, & quidem alieno, cuius adeo notitia ab emtore salva aequitate & justitia prætendi nequit, vid. TRENTACINQ. L. 3. resol. Tit. de emt. vend. resol. 13. n. 2. RUIN. L. 1. Conf. 42. n. 29. SURD. Dec. 243. num. 4. MEV. loc. cit. STRYK. loc. cit. §. 41.

§. XIX.

Si itaque emphyteuta rem emphyteuticariam pretio comparaverit, ipsique evicta sit, omne quicquid alias in contractu emtionis venditionis juris est, hic quoque repetendum, scilicet dominus directus vel scivit fideicommissi

C 2

grava-

(20)

gravamen vel ignoravit. Ignorans venditor rei alienæ ~~x~~
que ac sciens, re evicta, emtori non ad pretium duntaxat
reddendum, sed ad omne quod ejus interest, rem sibi e-
victam non esse, præstandum tenetur ex natura actionis
ex emto, si scil. in venditione dictum non sit, quantum
venditorem pro evictione præstare oporteat. *L. 8. L. 60.*
L. 70. D. de Evict. L. 9. L. 18. L. 25. C. eodem. Putat quidem
ANTON. FABER in Cod. SABAUD. *L. IV. Tit. 42.*
Def. 51. dominum directum non teneri de evictione ni-
si ad pretii restitutionem, his verbis: *Si quando emphyteu-*
ticaria re evicta dominus directus de evictioni conveniatur, non
ad aliud condemnandus est, quam ut acceptam pecuniam res-
tutat. Nam cum emphyteusis speciem quandam habent beneficium,
equum sane est mitius agi. *um domino directo, si modo non fue-*
rit in dolo. Contrariam tamen amplectimur sententiam ex
rationibus in *J. XVII. adductis.* Etiam in reliquis con-
tractibus onerosis, in quibus vice mutua quid præstandum
est, evictionis præstationem obtinere, tradit BOEHMER
in doctrina de Actionibus *Sect. II. c VIII. J. 68.* Sic etiam
emphyteuta ignorans rem alienam in emphyteusin accipi-
ens, vel ejus heredes, re evicta, valide agunt contra au-
torem, seu eum à quo rem titulo oneroso habent, & con-
tra eorum heredes, quibus imminent vel præsens evictio
antea denunciata fuerit, ad præstandum, quanti interest ac-
cipientium rem evictam non esse, *arg. leg. cit. 4. C. de li-*
tigios. 2. F. 8. & J. 3. Inst. de locat. & conduct.

J. XX.

Si vero intervenerit pactum de non præstanta evictio-
ne, bene erit distinguendum, an venditor in bona vel ma-
la

la fide fuerit. Si sciens alienum vendiderit, & adjectum sit, ne eo nomine quid praestaret, est in dolo malo, & sic emtor non quidem agit de evictione contra venditorem, pactum enim contrarium interpositum est, sed ex emto, cui clausula dolis inest, non tantum ad pretium reddendum, sed etiam ad interesse & sumitus litis praestandos, L. 6. §. fin. D. de Act. Emt. & vend. MEV. Part. V. Dec. 312. num. 8. Si vero ignorans rem alienam vendiderit, propter bonam fidem minime actione in rem id quod interest, sed solum ad restitutionem pretiis tenetur per textum hac de re valde notabilem in L. 11. §. fin. D. de Act. Emt. & vend. verbis: & si aperte in venditione comprehendatur, nibil evictionis nomine prestitumiri, pretium quidem deberi re evicta, utilitatem non deberi, neque enim bona fidei contractus hanc patitur conventionem, ut emtor rem amitteret & pretium vendor retineret. Conser. MEV. Part. VII. Dec. 44. & ibi alleg. CA-BALLIN. in Tract. de Evict. CARPZ. P. 2. C. 34. D. 22. n. 4. MANGIL. de Evict. Qu. 103. num. 1. MANTIC. Z. & A. C. Lib. 4. tit. 24. num. 3. STRYK. de Cautel. Contr. Sect. 2. c. 8. §. 47. FRID. à SANDE Dec. Frij. Lib. 3. tit. 4. n. 10. de hac pactione eleganter agit HARPPRECHT. Vol. I. Consil. Tubing. cons. 42. num. 89. 97. & 98. ibi: Ac proinde perinde tale pactum accipimus, quasi inter contrahentes hoc duntaxat actum esset, quod emtor non debeat facultatem habere id, quod evictionis proprium est, ex natura contractus procedens, petendi, id est omne quod interest: Non vero ut etiana à Pretii, quod ipse ex contractu illo prestitit, repetitione arceri debeat, ut veniste de his SURDUS Consil. 36. num. 22. NICOL. BURGUNDUS de Evict. cap. 39. num. 5. & cap. 41. num. 2. Non aliter fideicommissarius, Dominus directus

rei emphyteuticariae & ejus heredes vel ad pretium vel ad omnem utilitatem pro casuum diversitate praestandam tenetur. Quamvis ita sit conventum, nihil praestitum iri, & Dominus directus rem fideicommissariam ignorans in emphyteusin concederit, ipse tamen, re evicta, ad premium restituendum tenetur. Quid si gratuito rem emphyteuticariam concederit, et pacto contrario sibi prospererit, neque ad utilitatem, quia in bona fide existit, neque ad premium restituendum tenetur, nam hoc facto nihil accepit, quod resinere possit vel restituere debeat.

S. XXI.

Per Premium intelligitur vel ista pecunia numerata, quæ pro mercibus vel fundo data fuerit, der Preys / vel estimatio sive valor ipsius rei, vulgo: der Werth der Sachen. Cum itaque *in cit. Leg. 11. D. s. fin. de Act. semivend.* de sola restitutione pretii (nam si sermo est de pretio una cum utilitate, facile erit intellectu, Item loqui de præstatione interesse sive estimatione torius rei) merito querendum est? quænam significatio pretii hic locum habeat? ignorans vendor rei alienæ, contrahens nihil praestitum iri, dupliciter munitus est a) bona fide b) pacto expresso, iam pacta sunt servanda; qua ratione itaque vendor ad restitutionem pretii tali casu tenetur? nulla alia ratione quam hac: ne locupletior fiat cum danno alterius scil. emtoris, nam fieri posset, ut vendor premium lucretur & emtor rem nullam consequatur. Ex hac generali juris regula res erit decidenda, quod scil. per premium hic intelligatur, premium conventum vel ista pecunia

cunia numerato pro fundo data , qua solum locupletior factus . Quamvis hic agitur ex natura negotii actione ex contractu bona fidei , quo sit estimatio secundum tempus evictionis per L. 13. L. 66. §. fin. L. 70. D. de Eviēt. hæc tamen non obtinent in casu , quo venditor aperte pronunciavit , nihil evictionis nomine præstitum iri , nam differentia quod vel ex emto vel actione ex stipulatu agi possint , alias satis fundata , hic inutilis est ; quia ex utroque venditor ad nihil tenetur per L. cit. 11. D. art. emti vend.

§. XXII.

Quod si autem emtor sciat rem esse alienam ? cessat præstatio evictionis , ita ut venditor usque adeo libetur , ut nequidem pretium numeratum cogatur reddere , nisi emtor de prelio sibi restituendo , specialiter sibi cavebit , quia sciens prudens fundum alienum comparavit , quod eo nomine dedit contra juris poscit rationem , ait L. 27. C. de Eviēt. COVARRUV. var. resol. L. 3. c. 17. n. 2. ad eam questionem HARTM. PISTORIUS P. 2. Qu. 10. num. 22. FRANC. CALDAS de emt. cap. 11. n. 6. post plures FRANZKIUS ad tit ff. de Eviēt. num. 267. FRANC. STEPHAN. Dec. 8. num. 4. 5. 6. PEREGRIN. de fideicom. artic. 52. n. 58. 61. &c. & hoc etiam procedit , quamvis venditor sciverit rem esse alienam , nam in pari causa turpitudinis seu iniquitatis deterior est , conditio petitoris , MEV. cit. decij. 312. n. 9. L. 128. de R. I. à SANDE Decij. Fris. Lib. 2. tit. 4. dec. 10. STRYCK de Cautelis contr. Sect. 2. cap. 8. §. 47. Et recte emtori , tali casu , objicitur , quod ipse duntaxat tale quale venditoris jus emere voluerit , ME- NOCH

NOCH. *Conf. 418. n. 19.* NIC. BURGUNDUS de *Eviēt. cap. 23.* atque utilitatem præsentis temporis cum periculo futuri evictionis eventus pensandi animum habuisse videatur. Quodque sibi hoc imputare, & de se ipso conqueri debeat, quod, sciens periculum, se in illud conjecterit, argum., *L. 7. §. fin. D* qui satisd. cognat. in simili CASP. ANTON. TESSAURUS *Q. forens. L. 2 cap. 23. n. 24.*, obstat. §. ult. l. ult. C. *commun. de Legat.* ex hac lege DID. COVAR. RUV *Lib. 3. variar. resolut. cap. 17. n. 1.* colligit, quando res non est prorsus aliena, sed restitutioni obnoxia, quod tunc emtor gravamen, restituendique necessitatem impositum non ignorans, re evicta, pretium recuperet. Quæ sententia minime probanda; sed dicendum, hunc textum eo de casu loqui, quo emtor, qui rem obnoxiam sciebat, ea gratia duplæ sibi stipulatione prospexerat, quo casu ad pretii restitutionem duntaxat agere potest, conf. à SANDE de prohibita rerum alienatione *P. III cap. 7. num. 12.* & Dn. de BERGER in *Resolutionibus legum obſt. quæ in Comp. Lauterbach. occurruunt tit. de Eviēt.* pag. m. 435. Caute itaque agit qui sciens rem emit alienam, ut paciscatur cum venditore de prælanda evictione.

S. XXIII.

Requiritur vero ab emtore accurata scientia rei alienæ, atque ita doctus malus, KNIPSCHILD^T de fideicom. famil. *cap. XII. I. num. 80.* Probabilis ergo ignorantia non impedit actionem ad evictionis præstationem. conf. BRÜCKNER in tract. synopt. de Dominiis Regni German. *cap. 10. num. 16.* ibi: Si tamen emtor accurate sciverit, rem venditam alienam, vel non in plena potestate alienantis fuisse &c. neque enim de emtore scientia aliter prædicatur, quam si ipse

(25)

si ipse rem totam cum suis qualitatibus , perfecte sciat per
L. 76. de R. J. TIRAQUELL. de Retraç. lign. §. 36. Gloss.
2. num. 30. ac proinde , nec aliter pretii redditio denega-
ri ei poterit , quam si vendorum demonstrare queat , ipsum
malæ fidei emtorem esse . Conf. omnino HARPPRECHT
Vol. I. Conf. Tübinger. Conf. 42. num. 39. 40. 41. 42. & 43. Et
hęc omnia quoque locum habere , re per fideicommissa-
rium evicta tertio possessori , affirmant plurimis FRID. à
SANDE de Prohibita rerum alienat. P. III. cap. 7. n. 11. 12.
& 13. & ULR. HUBER in Praelect. Jur. Rom. Tit. de E-
vict. tb. 22.

§. XXIV.

Ultimo facta applicatione ad præmemoratum ab i-
nitio hujus dissertationis casum . Titius prædium Tusculanum
in emphyteusin concedens , sive sciverit , sive ignoraverit , præ-
dium fideicommisso familie gravatum fuisse ; tamen , re evicta ,
heres ejus universalis scil. uxor , tenetur ad id , quod Me-
vii interest rem non esse evictam , præstandum , per §. XIX.
Quia in venditione non dictum est , quantum pro evictio-
ne præstare oporteat . Idem est dicendum : Si Titius sciens
alienum vendiderit , licet aperte in venditione comprehen-
deretur , nihil evictionis nomine præstitum iri , per §. XX.
Si vero ignorans fundum fideicommisso familie gravatum
in emphyteusin concesserit , sibique pacto contrario , nihil
præstitum iri , prospexerit , verum tamen ut pretium red-
datur , ejus heres tenetur , per §. XX. Salvis ceteris neces-
sariis in evictione requisitis , quæ diligenter & facile ex com-
pendiis juris observari debent , præprimis illud requisitum :
ut evictio præsens denunciata fuerit autori , ad hunc finem
ut veniat & assit *L. 9. 21. 23. C. de Evict.*

D

§. XXV.

§. XXV.

Dicto casu emphyteuta predium parvo pretio comparatum iterum alteri, requisito domini directi consensu, pro magno cessit pretio : facta cessione, exceptiones reales, quæ opponi poterant cedenti, obstant quoque cessionario BRUNNEM. de cess. act. c. ult. n. 2. & vice versa cessionarius omnes actiones, quas ratione rei cessæ cedens habuit, instituere potest ; nam si res emphyteuticaria venditur, emtor in contractum antecessoris necessario transire & directum dominum agnoscere debet, consequenter idem contractus, qui cum priori initus est, cum novo emphyteuta repetitur, & eo ipso quo dominus eum recipit ; obligatio pristina renovata vel in eum translata censetur. audiatur & LAUTERBACH Exercit. XLIII. Conclus. 3. ibi : quantumvis res vendita per plures manus ambulaverit, nihilominus vendor primus de Evictione tenetur, modo non solum ultimus emtor suo emtori, sed etiam quilibet suo venditori denunciaverit, donec ad primum venditorem fuerit devenit. Sic quoque Mevius, pro varietate predictarum circumstan- tiarum, vel ad omnem utilitatem, vel ad pretium reddendum, contra heredes domini directi agere potest ; licet i- pse Mevius sciens fundum fideicommissio familiz gravatum esse, sibi comparaverit, nam transit in locum prioris emphyteutæ, quem in b. f. fuisse presumimus, iste enim va- lide contra dominum directum agere potuit. Tantum pro temporis ratione hac vice tradidisse sufficiat.

S. D. G.

ULB Halle
003 926 559

3



Sb.



B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

D. B. v.
DISSESSATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

EVICTI²³
ONIS
PRÆSTATIONE
BONORUM FAMILIÆ
IN EMPHYTEUSIN DATORUM,
QUAM

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA
EX DECRETO ET AUTORITATE
ILLUSTRIS FCIORUM ORDINIS
IN ALMA LUDOVICIANA
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

RITE CONSEQUENDIS,
SOLENNI EXCELLENT. DNN. PROCRERUM
EXAMINI HORIS LOCOQUE SOLITIS SUBMITTIT
AD D. FEBR. MDCCXXXIII.

AUTOR

PHIL. CHRIST. LUD. KOESTER,
WALLERTHEIMENSIS,
DICASTERIORUM ELECTORALIUM PALATINORUM
ADVOCATUS ET PROCURATOR ORDINARIUS.
GIESSE²Æ, Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.

